

## Comicorum graecorum emendationes.

Scripsit Theodorus Kock.

### I. Xenarch. 9 (III 623).

Volcanum pro igne, Cererem pro frumento vel pane, Bacchum pro vino dicere (ad Herenn. 4, 32, 43) denominatio est poetis usitatissima; rarius aliquanto ita loquuntur, ut uno nomine cum re simul etiam deus ipse significetur: veluti apud Xenarchum vel Timoclem (Athen. 10, 431a)

μὰ τὸν Διόνυσον, ὃν σὺ κάπτεις ἕσον ἕσω,

Bacchus simul deus est et vinum. ὃν Toupius addidit; sed ne sic quidem verba in codd. tradita mendo carent. quod quale sit haec doceant veterum scriptorum testimonia. Aristot. H: a. 9 p. 595 a 7 πίνει δὲ τῶν ζώων τὰ μὲν καρχαρόδοντα λάπτοντα· ἔνια δὲ καὶ τῶν μὴ καρχαρόδοντων, οἷον οἱ μύες· τὰ δὲ συνόδοντα σπάσει, οἷον οἱ ἵπποι καὶ βόες· ἡ δὲ ἄρκτος οὔτε σπάσει οὔτε λάψει, ἀλλὰ κάψει. est enim κάπτειν proprie 'mordicus adpetere, mordicus captare', velut Arist. Av. 245 οἱ θ' ἔλειας παρ' αἰλῶνας ὄξυστόμους ἐμπίδας κάπτετε, deinde 'avidè edere', cf. Arist. fragm. 300 παύσειν ἔοιχ' ἢ πανουκάπη κάπτοντά σε. 488 παρατέταμαι τὰ λιπαρὰ κάπτων. Anaxil. 15, 3 τυροὺς κάπτων. Telecl. 34 ὦ δέσποθ' Ἐρμῆ, κάπτε τῶν θνητῶν· sensu translato Eubul. 11, 7 κάπτοντες αἴρας, ἐλπιδας σιτούμενοι. de potione hominum bestiarumque plurimarum non usurpatur κάπτειν, sed saepissime λάπτειν. Hesych. λάπιοντες· πίνοντες τῆ γλώσση· πεποιήται δὲ ἀπὸ τῶν κυνῶν (καὶ) τῶν τοιούτων οὔτω πυνόντων μετὰ ψόφου. Hom. Il. 16, 160 (λύκοι) ἀγελῆδὸν ἴασιν ἀπὸ κρήνης μελανίδρον λάψοντες γλώσσησιν ἀραιῶσιν μέλαν ὕδωρ. Arist. Ach. 1229 ἄκρατον ἐγγέας ἄμυσιν ἐξέλειψα. Pac. 885 τὸν ζωμὸν.. ἐκλάψεται. fr. 585 τὸ δ' αἶμα λέλαφας τοῦμόν. Pherecr. 93 λεπαστήν λαψαμένους μεστήν. Athen. 10, 443 e τοὺς οὔτω λάπτοντας τὸν οἶνον. cf. etiam Arist. Nub. 812. itaque dubitari non potest quin scribendum sit

μὰ τὸν Διόνυσον, ὃν σὺ λάπτεις ἕσον ἕσω.

## II. Menand. 471 (IIII 212).

Insignis apud Stobaeum (Ecl. phys. I p. 192 Heer.) exstat Menandri ex Hypobolimaeco ecloga, qua nihil esse mentem et prudentiam humanam ac solam in omnibus rebus regnare fortunam docet :

παύσασθε νοῦν ἔχοντες· οὐδὲν γὰρ πλέον  
 ἀνθρώπινος νοῦς ἔστιν ἄλλο τῆς τύχης,  
 εἴτ' ἔσσι τοῦτο πνεῦμα θεῖον εἴτε νοῦς.  
 τοῦτ' ἔσσι τὸ κυβερνῶν ἅπαντα καὶ τρέφον  
 καὶ σφῶζον, ἣ πρόνοια δ' ἣ θνητῆ καπνὸς  
 καὶ φλῆναφος.

In primo versu iure offendit Bentleius (Emend. in Men. p. 62), nec possum non mirari Meinekium (Men. et Phil. rel. p. 168) id quod volgatum est λέγοντες defendentem. qui enim aliis persuadere vult, adhortari eos non potest, ne sana mente esse velint. adparet philosophum Menandream illud deprecari, ne quis in explicandis rerum causis semper ad mentem sapientiamque hominum recurrat: eam enim imbecillam atque inopem, veram omnium reginam et gubernatricem esse fortunam. itaque hoc dicit ' nolite mihi molesti esse identidem mentem consiliumque humanum dicentes'. id autem Graeci dicunt

παύσασθε νοῦν λέγοντες.

nam quod Bentleius proposuit αἰχοῦντες mihi quidem probari non posse videtur, quod αἰχεῖν cum accusativo nominis coniunctum apud atticos scriptores non legitur. λέγοντες eodem sensu quo Aesch. Eum. 881 οὐ τοι καμοῦμαι σοι λέγουσα τάγαθά. Phoenicid. 4, 2 χαιρέτω· μὴ μοι λέγε (ἐταιρεῖν). Philetaer. 6, 6 Κοσσύφας δὲ καὶ Γαλήνας καὶ Κορώνας οὐ λέγω. Arist. Ach. 299 μηδὲ λέγε μοι σὺ λόγον. Eur. Med. 321 μὴ λόγους λέγε. cf. Plat. Crit. 48 c.

## III. Anaxandr. 3 (III 162).

Mirum in modum Anaxandrides, si Athenaei (14, 642b) codicibus fidem habemus, de mensa in convivium adlata dixit

ὡς δ' εἰσπεφάνωθην, ἣ τράπεζ' ἐπήγετο.

neque minus mirum quod Meinekijus excogitavit (praef. ed. min. p. XV) εἰσήγετο. mensa enim neque ἐπάγεται neque εἰσάγεται, neque ἐξάγεται, namque omnino non ἄγεται. nemo opinor ad Antiphanem (172) provocabit, qui in oratione manifesto figurata εἴτ' ἐπεισῆγεν χορείαν ἣ τράπεζαν δευτέραν. sed ut finita cena ἀφαιρεῖται, ἀπο-

φέρεται, αἴρεται, sic sub initium convivii εἰσφέρεται (Arist. Vesp. 1216. fragm. 525. Pherecr. 65, 1, quamquam ibi, quoniam non intus sed foris cenatur, ἔκφερε scribendum censeo, ut Eq. 1165), παρατίθεται (Cratet. 14, 5. Alexid. 165. παράκειται Diodor. 2, 10), denique etiam ἐσαίρεται (Arist. Ran. 520). atque id ipsum Anaxandridi quoque reddendum est:

ἢ τράπεζ' ἐσήρετο.

### III. Pherecr. 143 (II 326).

In Chirone (cf. Nicom. harm. 2 p. 35 Meib.) Pherecrates, ut narrat Plutarchus (de mus. p. 1141), Iustitiam et Artem sive musicam sive poeticam de detrimentis conloquentes fecit, quae recentiores artifices arti antea tantopere florenti attulissent. exorditur autem Musica his versibus:

λέξω μὲν οὐκ ἄκουσα· σοὶ τε γὰρ κλύειν  
ἐμοί, τε λέξαι θυμὸς ἡδονὴν ἔχει.

Haec a Pherecrate ita scribi potuisse nego. nam si dicere volebat animum teneri cupiditate dicendi, quoniam ἡδονή voluptas est, non cupiditas, dicendum erat θυμὸς ἐπιθυμίαν ἔχει vel ἐπιθυμίῃ λέξαι; sin autem significaturus erat animum voluptate teneri in dicendo, participio opus erat θυμὸς ἡδονὴν ἔχει κλυούση-λεγούση. neque vero omnino Graeci dicunt θυμὸς ἡδονὴν ἔχει τι ποιεῖν. usitatam eis loquendi rationem ex hisce exemplis cognoscas. Antiph. 269 τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὐτοῦ τῷ βίῳ ἀδίκημα μηδὲν ἡδονὴν πολλὴν ἔχει. Anaxandr. 54 ἡδονὴν ἔχει, ἔταν τις εὖρη καινὸν ἐνθύμημά τι, δηλοῦν ἄπασιν. Crobyl. 4 τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν τίς ἡδονὴν ἔχει; Eurip. Orest. 1182 λέγ' ὡς τὸ μέλλειν (?) ἀγάθ' ἔχει τίς ἡδονὴν. fragm. 643 N. τὰ χρήματα ἀνθρώποιον ἡδονὰς ἔχει. Arist. Pac. 559 τάς τε συκᾶς ἀσπάσασθαι θυμὸς ἡμῖν ἐστι. Theop. 32, 10 ποῦσα δ' ὀπόσον ἂν σοι θυμὸς ἦ. Sophoclis autem versus El. 285 οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα τοσόνδ' ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει in summa similitudinis specie Pherecratei dissimillimus est: queritur enim Electra quod coram matre sibi non tantum flere liceat, quantum si fleverit (ὅσον κλαύσασθαι), animus expleta cupiditate satiatas sibi voluptatem adferat.

Haec mihi identidem mecum reputanti in mentem venit Martini, praeceptoris dilectissimi, qui in Sophoclis Antig. 718 pro ἀλλ' εἶχε θυμῷ lenissima mutatione restituerat ἀλλ' εἶχε μύθῳ. eodem modo ei de quo agimus versui medendum esse arbitror; scribo enim

σοί τε γὰρ κλύειν

ἔμοι τε λέξαι μ᾽ ἔθον ἡδονὴν ἔχει·

μῦθος enim neque de fabulis Aesopeis (Arist. Pac. 131) neque omnino de fabulis fictis (Arist. Vesp. 566. Plut. 177) solum, sed etiam de narrationibus ad rerum veritatem expressis (Vesp. 1179. Lys. 782. 805. Pherecr. 92, 5) a poetis comicis usurpatur.

V. Alexid. 275 (III 514).

Apud Alexidem (Ath. 2, 67 e) nescio quis indignatur quod duo sextarios modo pessimi vini haurire coactus iam per medium forum invitus trahatur (cf. Mein. in ed. mai.): ut autem quam pravam fuerit vinum declaret, pro vino nominat acetum Decelicum, acerbissimum omnium.

κοτύλας τέτταρας

ἀναγκάσας με μεσιὰς ἀὐτοῦ σπάσαι

ἄξους Δεκελεικοῦ δι' ἀγορᾶς μέσης ἄγεις.

Pro με μεσιὰς recte Brunckius μεσιὰς ἔμ', non recte idem ἀυτόθεν pro αὐτοῦ, quamquam id recepit Meinekius. neque tamen sine dubitatione: sic enim verba restituenda censet τέτταρας | κοτύλας ἀναγκάσας με μεσιὰς αὐ σπάσαι. at neque ἀυτόθεν neque αὐ quid hic potissimum significet satis intellegitur. contra et sententia et mendi origo perspicua erit, si scripseris

κοτύλας τέτταρας

ἀναγκάσας μεσιὰς ἔμ' ἀὐτίτου σπάσαι

ἄξους Δεκελεικοῦ κτλ.

quid sit οἶνος αὐτίτης, dissentiunt Erotian. p. 130 Fr. Poll. 6, 18. Grammat. Bekkeri p. 464, 30. — cf. Meinek. II 867. 8 ad Polyzei frag. 2 et quem ille laudat Foes. Oecon. Hippocr. p. 191 a. — pro οἴνου παρὰ προσδοκίαν dicit ἄξους Δεκελεικοῦ.

VI. Archipp. 18 (II 721).

Athenaeus (3, 86 c et 90 f) varia piscium genera enumerans ex Archippi Piscibus versum adfert hunc:

λεπάσιν, ἐχίνοις, ἔσχαραις, βελόναις τε τοῖς κισίῳ τε.

In his verbis quamvis paucis duo menda haerent. nam primum ἔσχαρα focus est vel ara, non piscis nescio quis. scribendum esse adparet ἔσχαροις, quod piscium genus cum aliis commemorat Dorion apud Ath. 7, 330 a: τῶν δὲ πλατέων βούγλωτιον, ψῆτιαν, ἔσχαρον ἐν καλοῦσι καὶ κόριν. item Mnesimachus in Ἰπποτρόφῳ (Ath. 9, 403 c) κόραβος, ἔσχαρος, ἀφύαι, βελόλαι. praeterea autem

ferri omnino non potest βελόναις τε τοῖς κτεσίν τε. nam articulus quem dicunt a tali enumeratione longe abhorret: id quod facile concedes, si similes catalogos, quorum permagna est apud comicos multitudo, comparaveris, veluti Arist. Ach. 546—554. 874 sqq. 878 sqq. Pac. 1000 sqq. Mnesim. 4, 29—45. 47 sqq. 61 sqq. perperam Bothius βελόναις τέ τοι, cum τέ et τοι numquam coniungantur. restituendum est sine dubio piscis alicuius nomen et legendum

λεπάσιν, ἐχίνους, ἐσχάροις, βελόναις, βάτοις κτεσίν τε.

de particula τέ extremo nomini addita cf. infra c. X. — βάτος autem piscis ab Athenaeo commemoratur 7, 286 c. cf. Schneider. ad Aristot. H. a. 1, 5, 2 et Bernh. Langkavel. in indice Aristotelico.

#### VII. Alexid. 235, 6 (III 493).

Aenigma de somno proponenti mulierculae in Hypno Alexidis (Ath. 10, 449 de) contortum sane ac difficile puella cum indignatione respondet

ἄει σὺ χάρεις ᾧ γύναι μ' αἰνίγμασιν.

'ἄει BC et Eustathius' (ad Hom. p. 1336, 15), 'αἰεὶ A. qui omnes eam voculam cum praecedente ᾧν' (versus superioris ἀόρατος ὄψιν, γνώριμος δ' ἄπασιν ᾧν) 'coniungunt. pro ἄει sive αἰεὶ VL habent παίζειν, ex interpolatione Musuri. P neque ἄει nec παίζειν habere annotavit Dindorfius. locus fortasse ita restituendus ἄει σὺ παίζεις ᾧ γύναι μ' αἰνίγμασιν. Valckenarius παίζουσα χάρεις ᾧ γύναι μ' αἰνίγμασιν'. sic Meinekius. sed neque haec viro summo satis placuisse constat ex adnotatione in Anal. crit. ad Ath. p. 203 extr., neque quod in hac ipsa adnotatione proposuit ἄει σὺ πειρᾶς ᾧ γύναι μ' αἰνίγμασιν diu ei opinor placitum fuisse, si longiorem ei vitam fata concessissent. AEI. ΣΥ in unum verbum, cuius una littera excidit, coniungenda sunt, participium, si quid video, a verbo χάρεις suspensum. itaque pro ΣΥ legendum est ΣΑ. cum praeterea με non habeat quo referatur, adparet participium desiderari verbi transitivi. itaque pro E vel IE reponere N et ea quae excidit littera addita scribe

ἀνιῶσα χάρεις ᾧ γύναι μ' αἰνίγμασιν.

i verbi ἀνιῶν apud comicos semper corripitur excepto uno versu apud Aristophanem (Eq. 349), ubi τοὺς φίλους ἀνιῶν eodem sensu dixit quo Alexis ἀνιῶσα ἐμέ.

## VIII. Phœcr. 52 (II 275).

In Ἐπιλήσμονι Phœcratis (schol. Arist. Vesp. 1034) mulier de moroso marito ingenio querens negat se quicquam facere posse quod illi placeat;

κἄν μὲν σιωπῶ, φέρεται πνίγεται  
καὶ φησι· τί σιωπῆς;

corrupta haec esse metrum arguit. ridiculum est quod Bothius proposuit φύρεται. Meinekius tale quid requiri suspicatur: κἄν μὲν σιωπῶ, δυσφορεῖ καὶ πνίγεται vel δῆγγνται καὶ πνίγεται, quorum illud non displicet Herwerdeno (Observ. crit. in fr. com. gr. p. 9). — nec mihi displicet, sed cedere debet emendationi facilliori. ac cum post syllabam ται facillime excidere potuerit particula καί, extremo versu legendum esse censeo καὶ πνίγεται, pro φέρεται autem verbum reponendum significatione cognatum et quod cretici mensuram expleat. scribo igitur

κἄν μὲν σιωπῶ, τείρεται καὶ πνίγεται.

cf. Arist. Lysistr. 960. Aesch. Prom. 348. Soph. Phil. 203. Eur. Alc. 421.

## VIII. Theopomp. 72 (II 818).

Singularem Theopompi versum Zonaras in lex. p. 620 s. v. εὐδοεῖν servavit

ἀλλ' εἰ δοκεῖ, χρὴ ταῦτα δρᾶν· εὐδοεῖν πορεύομαι.

verbum εὐδοεῖν (alia significatione Demosth. 55, 10) apud atticos scriptores paullo rarius est, sed ut εὐδοῖα Aesch. fragm. 34 N. Arist. Ran. 1528 non magis quam metrum, de quo verissime iudicavit Meinekius, ullam dubitationem movet. at tamen non sine labe esse quae hodie leguntur ipsa sententia docet: nam verba εὐδοεῖν πορεύομαι intellegi nullo modo possunt. neque vero quod Meinekius coniecit εὐδοῶν melius videtur esse: qui enim modo ingreditur viam, cupere potest, scire non potest eam sibi faustam fore. quid in tali rerum condicione aptum sit dicere, exemplis quibusdam optime docebimur. Soph. Ant. 98 ἀλλ' εἰ δοκεῖ σοι, στείχε. τοῦτο δ' ἴσθ' ὅτι κτλ. Philoct. 526 ἀλλ' εἰ δοκεῖ, πλέωμεν· . . . μόνον θεοὶ σφίζοιεν. 645 ἀλλ' εἰ δοκεῖ, χωρῶμεν, ἔνδοθεν λαβῶν (h. e. ἔνδοθεν δὲ λ α β ε), ὅτου σε χρεῖα . . μάλιστα ἔχει. Arist. Nub. 11 ἀλλ' εἰ δοκεῖ, δέγκωμεν . . ἀλλ' οὐ δύναμαι. Av. 665 ἀλλ' εἰ δοκεῖ σφῶν, ταῦτα χρὴ δρᾶν· ἢ Πιρόκνη, ἔκβαινε. 1630 ἀλλ' εἰ δοκεῖ σφῶν ταῦτα, κάμοι ξυδοκεῖ. quae cum perlustro et cum Theo-

pompi verbis comparo, haec mihi hominis esse videntur ad rem arduam et incertam aliorum magis quam sua voluntate non sine aliqua dubitatione discedentis et ut ea sibi via fausta sit a deis precantis. itaque scribendum erit

ἀλλ' εἰ δοκεῖ, χρὴ ταῦτα δρᾶν· εὐδοεῖν δ' ἐπέχομαι.

Arist. Pac. 320 κάπευξαμένους τοῖσι θεοῖσιν δίδουσι πλοῦτον τοῖς Ἕλλησιν. Hom. Od. 14, 423. 20, 238. Aesch. Sept. 481 ἐπέχομαι δὴ τάδε μὲν ἐντυχεῖν. Ag. 1292 ἐπέχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν. Soph. Trach. 16 αἰεὶ κατθανεῖν ἐπρηχόμεν.

### X. Antiphan. 33, 5 (III 17).

De philosophorum mollitie et luxuria disputans Athenaeus cum Aristippi memoria Academiam coniungit (12, 544 f. 545 a) et ex Antiphanis Antaeo eclogam admodum insignem adscribit, in qua eius quoque sectae nimia vel in senectute habitus vestitusque elegantia inridetur. sunt autem versus hi:

ᾧ ἴαν, κατανοεῖς, τίς ποτ' ἔστιν οὐτοσὶ  
ὁ γέρον; B. ἀπὸ τῆς μὲν ὄψεως Ἑλληνικός·  
λευκὴ χλανίς, φαιὸς χιτωνίσκος καλός,  
πυλίδιον ἀπαλόν, εὐρυθμός βακτηρία,  
5 βαιὰ τράπεζα· τί μακρὰ δεῖ λέγειν; ὅλιως  
αὐτὴν ὁρᾶν γὰρ τὴν Ἀκαδημειαν δοκῶ.

In his utrum φαιὸς χιτωνίσκος retinendus an Dobreei φανός praefendus sit (qua de re cf. etiam Becker. Charicl. III 198. 9), nunc quidem *quaerere distuli*; gravius peccatum remanet, quod Meinekius quoque animadvertit, sed ut suspicionem diluere satius duxerit. is enim ad verba βαιὰ τράπεζα haec adnotavit: *breve mensam dicere videtur tenuem cenam, qua uti illum ex toto corporis habitu et quod Graecus erat conicit*.

At mensae tenuitas hic cum habitus vestitusque descriptione non videtur apte coniungi. adpropinquat quidam ignotus eis qui conloquuntur; itaque indicia quaedam, ut fit, et signa captant ex quibus quis ille et cuius condicionis sit conici possit. sic in Naufrago Ephippi (Athen. 11, 509 c) nescio quis Academiae alumnus ex corporis habitu cognoscitur: εὖ μὲν μαχαίρα ξύστ' ἔχων τριχώματα, εὖ δ' ἑποκαθιεῖς ἄτομα πύγωνος βάθρη, εὖ δ' ἐν πεδίλω πόδα πθεῖς ἐπὶ σφυρόν (?) κνήμης ἰμάντων ἰσομέτρους ἐλίγμασιν, ὄγκω τε χλανίδος εὖ τεθωρακισμένος. nusquam quicquam de mensa et victu, et rectissime quidem. nam semper in tali condicione ex eis quae cernuntur ea quae cerni non possunt conligimus. cernitur autem

externus corporis habitus, cernitur vestitus reliquusque adparatus; victus sive tenuitas sive opulentia neque cernitur neque quicquam facit ad hominis condicionem cognoscendam. adfirmat sane Meinekus conicere eos qui conloquantur qua utatur mensa is qui adpropinquet ex corporis habitu. at primum ea admodum incerta est et lubrica coniectura; videmus enim multos homines iu tenuissimo victu pingues, in summa luxuria graciles. deinde non id agunt ut de victu hominis coniecturam faciant, sed de origine et vitae condicione. ex corporis autem habitu victum, ex victu philosophicam hominis disciplinam augurari, Academiae an Lycei sit alumnus, id vero nimis profundae et plus quam humanae est sagacitatis.

Quae cum ita sint, Schweighausero adsentior, qui cum non videret quo sensu hic *exigua* vel *modica* mensa commemoraretur, in voce *τράπεζα* mendum inesse suspicabatur. et quoniam codicum varietates (*βεβαία τράπεζα* vel coniunctim *ββαιατράπεζα*) ad veram lectionem inveniendam nihil conferunt, coniectura opus est. quaerendum autem aliquid est quod eodem modo cerni possit ac color vestis, pilei baculique elegantia. *τί μακρὰ δεῖ λέγειν*; scribendum est *βαιά τε πέζα*.

*πέζα* quid sit monstrabit Pollux 7, 62 *μέρη δὲ ἐσθήτων πτέρυγες . . . ὧα δὲ τὸ ἔξωτάτω τοῦ χιτῶνος ἑκατέρωθεν . . . αἱ δὲ παρὰ τὰς ὦας παρυφαὶ καλοῦνται πέζαι καὶ πεζίδες, καὶ περιπέζα τὰ οὕτω περιφρασιμένα*. minus accurate Phot. 405, 3 *πέζα τὸ ἄκρον. ἢ τὸ ἀπολήγον τοῦ χιτῶνος, ὃ ἡμεῖς ὦαν λέγομεν*. Beck. Charicl. III 201. 204. praeterea fortasse versuum ordo turbatus et hunc in modum restituendus est:

*πυλίδιον ἀπαλόν, εὖρωθμος βακτηρία,  
λευκὴ χλανίς, φαιὸς χιτωνίσκος καλός,  
βαιά τε πέζα.*

denique de particula *τέ* post asyndeton ultimo membro adiecta cf. Alexid. 155, 9 *κύαμος, θέρμος, λάχανον . . . ἐρέβινθος, ἀχράς, τό τε θειοφανές . . . μελέθμ' ἰσχάς*. Eupol. 1 *ἐλάτης, πρίνου κομάρου τε πύροθους*. Menand. 287, 5 *διδόναι σωτηρίαν, ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν ἀγαθῶν ὕησιν (εὐχόμεθα)*.

#### XI. Eubul. 75, 7 (III 242).

Non inlepida translatione et Eubulus et Alexis scintillas ex camino exsistentes *Volcani canes* adpellaverunt, propter celerem sine dubio instabilemque trepidationem; et apud alterum quidem

coquus ἤδη πυκνοὶ δ', inquit ἄτιουσιν Ἡφαιστοῦ κύνες κούφως πρὸς αἰθραν, apud Eubulum autem (Ath. 3, 108b et 6, 228f)

ἑπίς δ' ἐγείρει φύλακας Ἡφαιστοῦ κύνας.

at ut apte canes dicuntur custodes, apte etiam scintillae comparantur cum canibus, ita scintillae custodes neque Volcani neque omnino ullo modo dici possunt. 'custodes Vulcani canes, scil. ad ignem dormitantes' inquit Dalechampius probante Schweighausero. at nec quomodo custodis officium sit dormire, nec quomodo scintillae ad ignem dormitent, facile intellegitur. itaque nomen φύλακας corruptum esse arbitror, idque ipsum etiam ex memorabili in altero Athenaei libro (6, 228f) duorum codicum (BC) varietate adparet: φλόγας enim praebent pro φύλακας. itaque scribendum censeo

ἑπίς δ' ἐγείρει σκύλακας Ἡφαιστοῦ,

cui cum interpretationis causa superscriptum esset φλόγας, librarius minus diligens a σκ ad φ aberrans quod hodie perperam legitur φύλακας effluxit. illud vero dubito, utrum σκύλακας, Ἡφαιστοῦ κύνας, Eubulum scripsisse an etiam κύνας ex interpretatione ortum et id quod apud Alexin legitur πυκνοὺς pro eo reponendum esse credam.

## XII. Cratet. 14, 6 (II 237).

Ut antiquae comoediae poetae omnes priscorum hominum felicitate describenda magnopere delectabantur, ita Crates quoque (Ath. 6, 267ef) lepidissimam eius imaginem proposuit. ea felicitate reducta fore promittit ut servis iam non opus sit, sed omnis per totam domum supellex ut Volcani illa artificia tamquam mira quadam vita praedita sua sponte ad quemvis usum adproperet.

πρόσεισιν αὐθ' ἕκαστον

τῶν σκευαρίων, ὅταν καλῆ τι. παραίθρου τράπεζα.

αὕτη παρασκευάζε σαντήν· μάτε θυλακίσκε.

ἔγχε τῶαθε. ποῦσθ' ἢ κύλιξ; διάνιζ' ἰούσα σαντήν.

ἀνάβαινε μᾶζα.

In his quid displiceat priusquam exponam, non inutile videtur de usu pronominis οὔτος in adpellando pauca praemonere. quod quamquam saepissime et verbo et eius qui vocatur nomini vel significationi praemittitur (ut in Aiace ὦ οὔτος Αἴας, δεύτερόν σε προσκαλῶ, Arist. Ran. 171 οὔτος, σὲ λέγω μέντοι, σὲ τὸν τεθνηκότα, ἄνθρωπε, βούλει σκευάρι' εἰς Αἴδου φέρειν; Eur. Or. 1567 οὔτος σί, κλήθρων τῶνδε μὴ ψεύσης χειρί· Μενέλαον εἶπον. Hel. 1627 οὔτος, ὦ ποῖ σὸν πόδ' αἴρεις, δέσποτα; Nicom. 1, 29 οὔτος, πέπεισμαι) at-

que sic etiam in duplicatae adpellationis membro priore poni solet (Arist. Eq. 240 οὔτος, τί φεύγεις; οὐ μενεΐς; ᾧ γεννάδα . . , μὴ προδῶς καὶ πράγματα. Plut. 439 οὔτος, τί δρᾶς; ᾧ δειλότατον σὺ θηρίον, οὐ παραμενεΐς;), tamen etiam inverso ordine pronomen haud raro postpositum invenies, veluti Eubul. 122 πέπωκας οὔτος; Eur. 236 ὁ Φιλῆνος οὔτος, τί ἄρα πρὸς ταύτην βλέπεις; Plat. Symp. init. ὁ Φαληγεὺς οὔτος Ἀπολλόδωρος, οἱ περιμένεις; (quamquam haec non uno modo explicantur) Nicoch. 1 Οἰνόμαος οὔτος, χαῖρε. Arist. Pac. 164 ἀνθρῶπε τί δρᾶς, οὔτος ὁ χέζων; Anaxandr. 51 τὸν ἐμὸν μόνανλον ποῖ τέτοφας οὔτος Σύρε; Nicoph. 17 γενναῖος Ἰσοῖ, ᾧ οὔτος, ὀλίγον ἀνάγαγε, (si recte emendavit Meinekius). Arist. Thesm. 689 ᾧ ποῖ σὺ φρέιγεις; οὔτος οὔτος, οὐ μενεΐς; Lys. 125 τί μοι μεταστρέφεσθε; ποῖ βαδίζετε; αὐται, τί μοιμνᾶτε; (melius forsitan ποῖ βαδίζετε αὐται; τί μοιμνᾶτε;)

His praemissis ad Cratetem redeamus et videamus quid ille pronomine αὐτῆ significaverit. ac si quis eam quae modo commemorabatur mensam adpellari opinatur, non obstat, ut exempla supra exscripta demonstrant, Atticorum in hac re consuetudo: at obstant duo impedimenta, tanta meo quidem iudicio, ut haec interpretatio prorsus abiicienda sit. etenim si mensa se ipsa adponere, deinde se ipsa adparare iubetur, quid tandem 'mensam adparare' aliud est quam 'mensam adponere'? nam ne de adornanda epulis mensa cogites, continuo singulae epularum partes deinceps enumerantur. sed fac cenae adparatum significari: dixisset tum non interposito pronomine παρατίθου τράπεζα· παρασκευάζε σαυτήν. et hac quidem ex parte placet quod Heringa coniecit αὐτῆ παρασκευάζε σαυτήν. sed huic non minus quam codicum lectioni obstat alterum de quo modo dixi impedimentum. cum enim per totam eclogam singulae supellectilis partes singulis praeceptis ut praesto sint imperanti admoneantur, duobus membris ad unam mensam spectantibus eximia orationis in ceteris celerrime progredientis et quasi properantis aequabilitas et concinnitas mirum in modum perturbatur et evertitur. quocirca mihi quidem persuasum est pro pronomine αὐτῆ quaerendum esse nomen, quo alia supellectilis pars a mensa diversa significetur. et erat cum cogitarem de culcita (τύλη, cf. Lob. Phryn. p. 173), cum in cena mensa adposita nihil magis necessarium sit lecto; sed quoniam culcita pars tantum modo lecti est et propterea mensae minus bene opponitur quam lectus ipse, iam legendum censeo

κοίτη παρασκευάζε σαυτήν.

quamquam enim plerumque κοίτη est dormientium, cenantium κλίνη,

tamen etiam, ut saepissime κλίνη ad dormiendum, sic interdum κοίτη ad convivium refertur. fragm. anon. 20 ἀλλὰ ξενῶνας οἶγε καὶ ῥᾶνον δόμους, σιρῶννυ τε κοίτας . . . κρατῆρά τ' αἴρου καὶ τὸν ἥδιστον κέρα.

### XIII. Eubul. 54, 5 (III 230).

De rustico Boeotorum victu Eubulus (Ath. 10, 417 d) haec narrat:

κοπρῶν' ἔχει  
ἐπὶ ταῖς θύραις ἕκαστος, οὗ πλήρει βροσιῶ  
οὐκ ἔσται μείζον ἀγαθόν· ὡς χεζητιῶν  
μακρὰν βαδίζων, πολλὰ δ' ἐσθίων ἀνὴρ  
δάκνων τὰ χεῖλη παγγέλοιός ἐστ' ἰδεῖν.

verbum ἐσθίων corruptum esse inter omnes constat. ex eis quae homines docti ad emendandum versum attulerunt, minime aptum est Iacobii δὲ βδέων: id enim nequaquam cernitur (παγγέλοιός ἐστ' ἰδεῖν). neque multo melius ob eandem causam Dobreei στένων; Meinekii autem ἀσθμαίνων ab litteris in codicibus traditis tam longe abest, ut non multum habeat probabilitatis.

Itaque aliud quod veri similis esset circumspicienti ipse se quasi offerebat festivissimus iocus Aristophanis in Avibus (791) εἴτε Πατροκλείδης τις ὑμῶν τυγχάνει χεζητιῶν, οὐκ ἂν ἐξείδισεν ἐς θοιμάτιον. cf. Cass. Dion. 44, 8 τῆς τε κοιλίας ἀκρατῆς ὑπὸ διαρροίας ἐγεγόνει, καὶ διὰ τοῦτο ἔνα μὴ ἐξείδιση κατέμεινεν. haec cum recorder, verbum ἰδεῖν Eubulo quoque reddere non dubito:

πολλὰ δ' ἰδίων ἀνὴρ.

cf. Hom. Od. 20, 204. Arist. Ran. 237. Pac. 85.

### XIII. Menand. 17 (III 74).

Dionysium Heracleae tyrannum, quem luxuria et edacitate tam pinguem factum esse ferunt ut spiritus difficultate laboraret (cf. Athen. 12, 549 bc. Diog. L. 7, 37. 166), in Piscatoribus Menander mortis genus facit exoptantem ipso dignissimum:

ἴδιον ἐπιθυμῶν μόνος μοι θάνατος οὕτως φαίνεται  
εὐθάνατος, ἔχοντα πολλὰς χολλάδας κείσθαι παχύν,  
ὑπιον, μόλις λαλοῦντα καὶ τὸ πνεῦμ' ἔχοντ' ἄνω,  
ἐσθίοντα καὶ λέγοντα· σήπομ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.

Prima verba cum Grotius et Iacobsius (Animadv. in Anthol. v. II p. III 261) emendatione parum probabili temptavissent, Meinekii

in Philemonis et Menandri editione ita explicabat, ut anacoluthiae genere eodem poetam usum esse putaret quod est in Oed. R. 159 *πρωτά σε κεκλόμενος . . . προφάνητέ μοι*. Plat. Phaedr. 241 d *ἄμην μεσοῦν αὐτὸν (τὸν λόγον) καὶ ἐρεῖν . . . λέγων*, ubi cf. Heindorf.; quibus aptissime addi poterat Plat. Legg. 6, 769 c *θνητὸς ὢν . . . αὐτῷ πόνος παραμενεῖ πάμπολυς* et multa alia.

Ac probavit eam interpretationem in maiore comicorum editione; in altera breviter non nihil sibi corruptum videri significavit. verissime. nam primum quod choro tragico et sublimiori philosophiae conceditur, id non continuo laudatur in comoedia; deinde quod in oratione longiore et quasi per ambages decurrente pulchrum venustumque videri potest, id in sententia brevi unoque versu terminata saepe ineptum est et paene intolerabile. neque vero quod Dobreeus (Advers. II 340) coniecit *ἴδιον ἐπιθυμῶ· μόνος μοι κτλ.* melius est. nam neque sententiae forma cum orationis colore concinit et *ἐπιθυμῶ*, ut omittam miram eius verbi cum accusativo casu coniunctionem, ab ea qua tum erat Dionysius animi adfectione prorsus alienum videtur. quid enim? qui a Stoicorum severitate ad Epicureorum voluptatem turpiter desciverat (ὁ μεταθήμενος εἰς τὴν ἡδονήν Diog. L. 7, 37. 166), qui morbo temptatus dolorem malum esse concesserat, eum mortem qualemcumque *concupivisse* credemus? immo id ipsum firmissimum emendationis fundamentum erit, ut verbum *ἐπιθυμῶν* omnino amovendum esse statuamus. iam autem Grotius et Iacobsius, quamquam emendationes proposuerunt (*ἴδιον ἐπιθυμοῦντα, πόλλ' ἐπισκοποῦντα μόνος*) quae vel propter metrum turpissime violatum admitti non possint, illud tamen recte viderunt opus esse dativo, et dativo participii. ac cum sententia talis esse debeat 'quotiescumque de generibus mortis, quam effugere nemo potest, *cogito*, cum nullum sit optabile, illud tamen ceteris tolerabilius videtur, si quis in ipsa vorandi voluptate animam efflare possit', pro *ἐπιθυμῶν ἐνθυμῶσθαι* restituendum, pro *ἴδιον* autem id quod saepe a librariis incredibilem in modum depravatum est *νῆ Δία* scribendum videtur:

*νῆ Δί' ἐνθυμουμένῳ μοι θάνατος οἷτος φαίνεται  
εὐθάνατος.*

cf. Arist. Eccl. 138 *τὰ γοῦν βουλευμάτα αἰτῶν ὅσ' ἂν πράξωσιν ἐνθυμουμένοις ὡσπερ μεθιέντων ἐσὶ παραπεληγμένα.*

XV. Menand. 295, 11. 434 (III 156. 202).

Verbum *ὄρᾶν* quamquam usu et significatione latissime patet,

in duas Menandri eclogas perperam a librariis inlatum esse persuasum habeo. altera (Stob. Flor. 22, 19) est de brevitae fortunae humanae: nam etiam Tantalii talenta si quis possideat, moriendum tamen esse et heredi divitias relinquendas.

τί οὖν λέγω; μήτ' αὐτὸς εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς  
πίστευε τούτῳ, μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν  
ἡμῶν καταφρόνει, τοῦ δέ γ' εὐτυχεῖν ἀεὶ  
πάρεχε σεαντὸν τοῖς ὀρῶσιν ἄξιον.

altera est apud Orionem Gnomol. 1, 17:

ὀρῶν τι βούλευσαι κατὰ σεαντὸν γενόμενος·  
τὸ συμφέρον γὰρ οὐχ ὀρᾶται τῷ βοᾶν,  
ἐν τῷ πρὸς αὐτὸν δ' ἀναλογισμῷ φαίνεται.

De utraque deinceps dicam. et in priore quidem τοῖς ὀρῶσιν ita fere intellegi solet, ut Alexis 262 dicit habitum corporis, liberalem ac venustum in viis publicis φέρειν τοῖς μὲν χρωμένους δόξης τιν' ὕγκον, τοῖς δ' ὀρῶσιν ἡδονήν. at tamen quis non videat quam dissimiles sint sententiae ac prorsus diversae. nam ut omittam antitheton pulcherrimum, quo Alexis eis qui habitus venustati studeant eam honestam, eis qui videant gratam et iucundam esse praedicat, bene et apte in habitus externi elegantia commendanda eos commemorat qui videant vel spectent. contra apud Menandrum oratio incredibiliter languet, si divites admonentur ne pauperes contemnant, sed fortuna sua *videntibus* semper dignos se praestent. cur enim *videntibus* potissimum? quidni amicis familiaribusque, liberis ac servis? quod poetae dicendum erat aptissime exprimi videtur monosticho Menandr. 348 μέμνησο πλουτῶν τοὺς πένητας ὠφελεῖν, cum praesertim is qui loquitur iam praemiserit μήτε τῶν πτωχῶν καταφρόνει. *pauperibus* pecunia dignos se praestare divites iubentur. scribendum igitur est

πάρεχε σεαντὸν τοῖς ἀποροῦσιν ἄξιον.

In altero versu non ego primus offendi. ac profecto quid tandem ista sibi volunt '*videns* aliquid tecum delibera'? interpretatur Meinekus '*dispiciens, consultans*' additque exempla fr. 169 ὄρα σὺ καὶ φρονεῖς, 125 τὴν ἡμετέραν προκατέλαβες ὄρασιν. tertio (Thuc. 6, 4) quid faciam nescio: frustra enim ibi verbum ὄραῖν quaesiveris. reliqua vero nihil prorsus valere quis est qui non intellegat? ut enim ex eo quod Romani dicunt '*vide* recte agas an perperam' minime efficitur eodem sensu dici potuisse '*videns aliquid*' vel '*qui videt aliquid* secum deliberet': ita Graeci ὄρα quidem et ὄρα<sup>m</sup>μή et similia eodem quo Romani usu saepissime, ὁ ὀρῶν τι numquam dixerunt. quocirca ego quidem hunc quoque versum cor-

ruptum esse cum Schneidewino consentio, de emendatione dissentio. nam quod ille scribendum coniecit ὀρμῶν α, id a vulgari certe Atticorum dicendi consuetudine abhorret. itaque hic quoque, sed alia significatione, verbum ἀπορεῖν restituendum esse arbitror:

ἀπορῶν α βούλευσαι κατὰ σαντὸν γενόμενος.

cf. Heind. ad Plat. Crat. 409 d.

### XVI. Pherecr. 38 (II 270).

Lubricum plerumque est et ancipitis plenum opus aleae saeculorum detrimenta sarcire lacunasque sententiarum versuumque explere. sed sunt interdum exempla, ubi tanta cum probabilitate quae perierunt reficere possis, ut non quod simile sit veri sed id ipsum quod verum est invenisse videare. id autem ibi potissimum fieri solet, ubi litterarum similitudine, earum dico quae exciderunt cum eis quae supersunt, et detrimentum acceptum est et emendatio confirmatur. cuius rei pauca quaedam exempla proponam.

In Pherecratis Dulodidascalo (Ath. 7, 305 f) somnium nescio quis narrare videtur. 'videbar mihi' inquit

κίθαρος γεγενῆσθαι κάγοράζειν κίθαρος ὄν.

B. ἀγαθὸν γ' ὁ κίθαρος καὶ πρὸς Ἀπόλλωνος πάνυ

ἐκεῖνο θράττει μ', ὅτι λέγουσιν, ὦγαθέ,

ἔνεσιν ἐν κίθάρῳ τι κακόν.

Citharum piscem Plinius N. H. 32, 146 *rhomborum generis pessimum* esse dicit (quamquam in Barbar. β non *pessimus*, sed *cyprius* scriptum est); Graecos aliter iudicavisse praeter Pherecratem Callias (fragm. 2) et Antiphanes (26, 15. 16) indicant. apud Pherecratem autem Herwerdenus (Anal. crit. p. 26) suo iure πρὸς Ἀπόλλωνος negavit esse posse adseverantis (pro νῆ Δία) aut obsecrantis (obsecratio enim sententiae non convenit); nec minus recte versum tertium eidem personae cum secundo attribui non posse intellexit; cetera non ita exposuit ut quae dixit sufficiant. adparet autem aliquem per somnum sibi visum esse mutari in citharum piscem. dubitat, bonum id sit omen an malum. eum alter ita consolatur ut neget citharum mali quicquam posse portendere: quoniam enim cithara sit Apollinis, citharum quoque ei deo *optime convenire* (ea enim, ut saepe, significatio est praepositionis πρὸς). quo responso prior ille quodam modo firmatus unum tamen sibi suspectum esse dicit, quod in proverbio sit 'interdum in citharo etiam aliquid mali inesse', sive id ipsum proverbium fuit sive fic-

tum a Pherecrate ad similitudinem notissimi illius ἔνεσα κἄν μύρμηκι κἄν σέρφω χολή. cf. Leutsch. ad Greg. Cypr. Mosqu. 3, 8. quodsi plerumque citharus in bonam partem accipiebatur atque *interdum* modo mali aliquid portendere credebatur, adparet recte Meinekium ante κακόν inseruisse particulam καί, adparebit vero etiam ante ἔνεσαν inserendum esse ἐνίστε. itaque sic scribenda est ecloga:

A . . . . . [κάδοκουν]

κίθαρος γεγενῆσθαι κάγοράζειν κίθαρος ἄν.

B. ἀγαθόν γ' ὁ κίθαρος καὶ πρὸς Ἀπόλλωνος πᾶν.

A. ἐκεῖνο δ' ἐθράττει μ', ὅτι λέγουσιν, ἄγαθέ,  
ἐνίστ' ἔνεσαν ἐν κιθάρῳ τι καὶ κακόν.

### XVII. Teleclid. 14 (II 366).

De Philocle, Aeschyli ex sorore nepote, versus exstant paene desperati ex Hesiodis Teleclidis apud schol. Arist. Thesm. 168:

ἀλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα [β . . . δεν οὔν],

εἰ δ' ἐστὶν Αἰσχύλου φρόνημ' ἔχων.

de priore, qui Oedipum suum expectat, non habeo quod dicam: alterum melius quam Duebnerus fecit (ὅτι δ' ἐστὶ γύνυς κτλ.) sanare me posse confido. nam Bothii quidem emendatio depravatio est.

*Turpitudinem* corporis in Philocle Aristophanes notaverat: ταῦτ' ἄρ' ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ, *turpitudinem* eius etiam in Avibus et in Teleclidis Hesiodis commemorari auctor scholii docet (ὅτι μικρὸς καὶ αἰσχρὸς). sed ut hodie Teleclidis verba scribuntur, nulla superest turpitudinis memoria. erunt qui dicant infuisse in versu priore. at quae ex eo servatae sunt litterarum reliquiae (λελύθημαι ὅθεν auctore Dindorfio, cf. Duebneri adnotationem) ei coniecturae non admodum favent. itaque facilius adducor ut altero versu foeditatis commemorationem contineri suspicer, ubi facile excidere poterat propter magnam cum Aeschyli nomine litterarum similitudinem. conceditur ab eo qui loquitur Philoclis deformitas, sed ita ut simul etiam excusetur, ioco ex adnominatione petito:

εἰ δ' ἐστὶν αἰσχρὸς, Αἰσχύλου φρόνημ' ἔχει.

### XVIII. Lysipp. 10 (II 748).

Hesychius nomen Βούδιος apud Lysippum inveniri dicit pro testimonio haec verba adferens κύων δέ τις ἐβόα δεδεμένος ὥσπερ Βούδιος. recte ut videtur Meinekium

κίων δέ τις

ἔβρα δεδεμένος . . ὥσπερ Βούδιος.

iam etsi sententia orationis quasi compage soluta quomodo explenda sit dubium videatur, tamen cum talia considero qualia sunt Plat. 19 ἔνδον τὰς ἀλεκτριούνας σοβεῖ, Alexid. 56 περιστέρως ἔνδον τρέφων (cf. etiam Arist. Vesp. 110. Av. 1107), simul etiam similitudinis litterarum (in verbis δεδεμένος et ἔνδον) ratione habita facere non possum quin verum ita scribendum esse coniciam

ἔβρα δεδεμένος ἔνδον ὥσπερ Βούδιος.

Βούδιος cum nomen sit prorsus ignotum, si ullo usquam certo indicio constaret Sophronis mimos Atheniensibus ut Platoni lectitatos fuisse, Βουλίας scriberem. cf. Demetr. de eloc. 153 ὁ παρὰ Σώφρονι δῆτορ εὐών Βουλίας. οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει. Eurpol. 215 Συρακίσιος δ' ἔοικεν, ἦνικ' ἂν λέγη, τοῖς κυνιδίοισιν τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχίων· ἀναβάς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων.

## XVIII. Cratin. 181 (II 116).

Faciliorum exemplorum agmen difficilius claudat et quod multo minus proclivem habeat emendationem neque eam ex sola litterarum similitudine suspensam.

In scholiis ad Arist. Eq. 400 narratur Cratinum Pytine comoedia ita se adversus aemulos vinolentiam ipsi et inertiam exprobrantes defendisse, ut Comoediam legitimam uxorem, Vinolentiam pelicem suam fingeret et Comoediam familiaribus amicisque exponentem induceret quomodo factum esset ut tam diu uxorem antehac dilectissimam neglegeret.

ἀλλ' ἐπαναστρέψαι βούλομαι (βουλόμενος Flor.) εἰς τὸν λόγον.

πρότερον ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ' ἔχων

τὸν νοῦν κακὰς εἴποι πρὸς ἑτέραν· ἀλλ'

ἅμα μὲν τὸ γῆρας, ἅμα δέ μοι δοκεῖ

οὐδέποτε αὐτοῦ πρότερον.

Haec manifesto tam misere corrupta sunt, ut sine librorum ope paene desperanda esse videantur: pauca tamen etiam sine codicibus emendari et universam sententiam cum aliqua probabilitate explicari posse arbitror. argumentum quale fuerit hisce scholii verbis indicatur: τὴν δὲ (Κωμωδίαν) μέμψεσθαι αὐτῷ, ὅτι μὴ κωμωδοῦν μηκέτι, σχολάζου δὲ τῆ μέθῃ. ea si comparamus cum poetae ipsius verbis vel verborum reliquiis, quae dicuntur v. 2 πρότερον ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ' ἔχων τὸν νοῦν satis declarant Comoediam queri quod poeta animum sane iam antehac ad alteram mulierem (pe-

licem) adverterit, *nunc vero* (nam praesens tempus oppositum fuisse priori necesse est) senectute simul, simul etiam alia aliqua re, cuius commemoratio exstincta est, prorsus a se abalienatus sit. itaque sic fere Comoedia locuta erat: *‘antehac quidem ille, quamquam iam animum ad alteram feminam converterat, tamen etiam mea interdum consuetudine delectabatur; nunc vero senectus simul, simul autem vinolentia* (nullam enim nisi hanc commemorari potuisse Fritzschius intellexit Quaest. Arist. I p. 263. 4) *animum eius ut numquam antehac certa servitute perdomuerunt.* haec si vera sunt, ante omnia constat μέθης commemorationem excidisse (post μοι sine dubio, cf. Meinek. ed. mai.); constat praeterea νῦν oblitteratum esse proximarum litterarum similitudine (ΑΑΛΑΜΑ et ΑΑΛΑΝΥΝΑΜΑ); denique constat ante ΟΥδέποτε restituendum esse ΩC. praeterea pro ΚΑCΕΠΠΟΙ reponendum esse ΚΑΙΕΜΟΙ sine ulla dubitatione adfirmo. cetera sanare (quamquam primum quidem versum rectissime Dindorfius emendavit in annal. Fleckeis. 1869 p. 522) multo magis lubricum est: ut tamen quam exposui sententiam quattuor trimetris aptissime contineri potuisse demonstrarem, quae scribi potuisse a Cratino existimo ita proponam, ut et ea quae incerta et ea quae certiore coniectura videntur novata esse a codicum scriptura usitatis hodie inter philologos notis distinguam.

πρότερον μὲν ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκα ἔχων  
τὸν νοῦν [ὅμως] καὶ μοι [προσεχρήτ' ἄν]. ἀλλὰ νῦν  
ἅμα μὲν τὸ γῆρας, ἅμα δὲ μοι μέθη δοκεῖ  
ὡς οὐδέποτε αὐτοῦ πρότερον [ἐπικρατεῖν ἔλωσ].

## XX. Cratin. 450 (II 231).

Iam primis post scriptorum veterum mortem saeculis opera eorum multis mendis multifariam adulterata esse et aliunde notum est et exemplis haud paucis ex comicorum reliquiis facile probatur.

Casaubonus ad Athen. 4, 146 e in add. ‘vetus est’ inquit ‘sive consuetudo sive error librariorum scribere κοίτη pro κιστή et κοιτίς pro κιστίς. Ptol. Hephaestionis filius Ἦραν δὲ δωρήσασθαι χλαμύδα καὶ Ἀθηναίων αἰλούς. Νηρέα δὲ τοὺς ἄλλας καλουμένους ἐν κοιτίδι. ita nuper Hoeschelius edidit. recte Hesych. κοίτη· κιστή, ἐν ἧ τὰ βρώματα ἔφερον· αἱ δὲ μικραὶ κιστίδες’. addit Schweighaeuserus ‘sic ille: quare’ (apud Athen. in Menandri fragm. 131)

nihil mutandum. paria habent alii grammatici, laudati ab Hesychii interpretibus.' non intellexit Schweighaeuserus Casaubonum, qui, nisi forte tantum virum inepte sibi ipsum adversari opinamur, hoc dicit, apud grammaticos scribendum esse *κοίτη*, in Atticorum libris *κίστη*. et sic perperam iam Pollux pro *κίστη* legerat *κοίτη* in fabulis Eupolidis (fragm. 78. Poll. 10, 91) et Pherecratis (fr. 115. ibid.), quorum utriusque attica forma (*κίστας, κίσταις*) sine ulla dubitatione reddenda est.

Similis est ratio fragmenti Cratinei apud Zonaram II 1168, qui de formis verbi *καθῆσθαι* ita disputat. *κάθου καὶ κάθησο ἀμύφτερα Ἑλληνικά. Ἀριστοφάνης . . .* (fr. 633). *Κρατῖνος*

*τὴν χεῖρα μὴ ἴπιβαλλε, μὴ κλάων κἀθη.*

*λέγει γὰρ τὸ ὑποτακτικὸν ἀπὸ τοῦ κάθημι* (emendant *κάθημαι*). ea forma *καθῆ* scribenda erat: sed admitti eam hic posse nego. prorsus alia est sententia fragmenti Aristophanei, ubi quamquam verba mutilata sunt, manifestum tamen est aliquem iuberi plorare et tacere (*οἰμῶζων κάθου*). at apud Cratinum quam inepte imperat quisquis is est quem poeta loquentem facit '*noli manum inicere, ne - plores et taceas*'. recte quidem '*ne plores*' i. e. ne puniari; non recte '*ne taceas*' vel '*tacitus sedeas*'; id ipsum enim imperatur *ut* taceat, non vetatur. neque vero alia interpretatione '*ne cum poena tua vel damno tacere docearis*' multum proficitur. nam, cum in talibus dictis Graeci antithetorum studiosi esse soleant, tacere vel tacitum sedere non est contrarium manus iniectio. ne multa: scribendum est

*τὴν χεῖρα μὴ ἴπιβαλλε, μὴ κλάων καθῆς.*

i. e. noli manum inicere, ne eam (*τὴν χεῖρα*) cum damno tuo demittere cogaris. Plat. Phaed. 61c *καθῆκε τὰ σκέλη ἀπὸ τῆς κλίνης ἐπὶ τὴν γῆν*. Arist. Av. 364 *κάθες τὸ εὐγχος*. Euphro 1, 24 *καθεῖς κάτω τὴν χεῖρα*. at, inquit, Zonaras ipse formam a *κάθημαι* derivandam esse testatur. aio: quamquam illo *κάθημι* non inepte quispiam ita utatur ut contendat in eo libro ex quo sua hausit Zonaras non *κάθημαι*, sed *καθῆμι* scriptum fuisse. sed utut id se habet, in talibus rebus comicorum ipsorum auctoritas sexcentis Zonaris Pollucibusque anteponenda est.

## XXI. Cratet. 42 (II 249).

Etymol. m. p. 299, 30 *σημειοῦται παρὰ Κράτην τὸ ἐθέλω-συχνος, ἀπὸ τοῦ ἐθέλω· σημαίνει δὲ τὸν θέλοντα συχράζειν*. nihil ad haec neque Gaisfordius, neque in comicorum fragmentis

Meinekus. atqui vocem *ἐθελόσυχνος* atticae certe fabricae non esse quovis pignore contenderim. sicut enim *ἐθελόδουλος* est qui sua sponte, non coactus servit, *ἐθελόπωνος* et *ἐθελουργός* qui sua sponte laborat, *ἐθελόπορνος* qui sua sponte scortatur, ut *ἐθελοκακῆν* est sua sponte, nulla clade coactum fugere, sic iam *ἐθελόσυχνος* quis dicendus erit? *ὁ ἐθέλων*, inquit, *συχνάζειν*, i. e. is qui sua sponte saepe venit vel saepe nescio quid aliud facit. tum igitur *ἐθελόσυχνος* significationem a verbo *συχνάζειν* accepisse censendum est. at cum *συχνάζειν* atticum verbum non sit — Attici enim eo sensu dicunt *φουτῶν* —, *ἐθελόσυχνος* id quod etymologici auctor dicit significare non potest. Pollucis (6, 183) *συχνάσματα* quid sint nescio. *ἐθελόσυχνος* manifesto nihil aliud esse potest quam *sua sponte frequens*. quod quoniam verbum est prorsus inane nulla subiecta sententia, ab Attico poeta formari potuisse eo minus credam, quo facilior mihi emendatio videtur. cum enim plurima nomina et verba cum *ἐθέλω* composita incipiant ab *ἐθέλο* —, librarius pro *ἐθελήσυχος* — id enim nomen sine dubio finxerat Crates — scripserat *ἐθελόσυχνος*: quod peccatum ut corrigeret, supra adpinxit H, quam litteram alius pro N habebat et ad terminationem vocabuli referebat. illud autem dubito, utrum *ἐθελόσυχνος* etymologici operis auctor ex libro antiquiore mendose scripto hauserit an librarii quod recte exaratum invenerant perperam intellectum corruerint. nihil tamen obstat quo minus statuamus antiquitus scriptum fuisse *τὸ ἐθελήσυχος ἀπὸ τοῦ ἐθέλω· σημαίνει δὲ τὸν ἐθέλοντα ἡσυχάζειν*.

Iam si *ἐθελήσυχος* Crates dixerat, etiam ad quam eius fabulam id vocabulum pertineat indicare posse mihi videor. In aurei aevi descriptione Hesiodus (Opp. 118) homines qui tum erant praedicat: *ὥστε θεοὶ ἔζων ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ αἰζύος . . . καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη πολλὸν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ' ἐθελήμοι ἡσυχοὶ ἔργα νέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσι ἀφνειοὶ μῆλοισι*. similem priscorum hominum felicitatis imaginem Hesiodi sine dubio exemplum secuti cum alii Atticorum comici proposuerant (Athen. 6, 267 é. cf. supra c. XII) tum Crates *Θηλοῖς*. insigne eius fabulae fragmentum prorsus ad Hesiodi similitudinem conformatum exstat apud Harpocratonem p. 148, 24 *ἔχοντες ἐνπαθῆ βίον παρουσίαν τε χρημάτων*. iam cum *ἐθελήσυχος* manifesto ex Hesiodeis illis *ἐθελήμοι ἡσυχοὶ* confictum sit, ad eandem id saeculi aurei in Feris descriptionem referre non dubito.

## XXII. Eupol. 358 (II 566).

Iam antiquitus dubitatum est, ad quem auctorem versus ille quem Aristophanes Ran. 1400 commemorat, βέβληκ' Ἀχιλλεύς δύο κύβω καὶ τέτταρα, referendus esset. de qua re in scholiis Aristophanis copiosius disputatur addito Eupolidis fragmento his verbis: ἐμφαίνει δὲ καὶ Εὐπόλις τοῦτο εἰδώς· ἀποφθαρεῖς δὲ δύο κύβω καὶ τέτταρα'. ad haec Meinekius 'ubi τοῦτο de ipso illo versu intellegendum est, quem Eupolidi quoque *cognitum fuisse* dicit: et rectius fortasse scribitur τούτων'.

Acquiescerem in Meinekii interpretatione, si in scholiis legeretur οἶδε δὲ καὶ Εὐπόλις τοῦτο(ν). est enim ea verbi εἰδέναι significatio apud grammaticos inprimis et scholiastas frequentissima. Plut. Mor. 744 c τρεῖς ἤδεσαν (*norant*) οἱ παλαιοὶ Μοῦσας. Ath. 1, 39 b Ὀμηρος θεῶν πόμα τὸ νέκταρ οἶδεν (*novit simul et commemorat*). Eustath. 1539, 31 οἶδε μὲν Ὀμηρος τὸν κέλητα. Ath. 9, 384 b ὅτι χηροβοσκὸς οἶδασι, μάρτυς Κρατῖνος. 3, 123 a ὅτι οἶδασιν (οἱ παλαιοὶ) θερμόν ἰδωρ, Εὐπόλις . . . παρίστησι. schol. Arist. Av. 521 Κρατῖνος . . . οἶδεν αὐτὸν (Lamponem) ζῶντα. Eust. 294, 41 Κρατῖνος καὶ τὴν χώραν Σπάρτην οἶδεν (terram quoque Spartam *nominat*). Paus. 2, 21, 10 (Ὀμηρος) τὸν οἶκον τὸν Ἀμφίονος . . . ἀνατραπέντα οἶδεν. 2, 14, 3 (Ὀμηρος) Ἀνσαίλην οἶδεν Ἐλευσίνοιον. Ath. 3, 100 e Ἀνγκεὺς ὁ Σάμιος . . . καὶ τὴν σὺν ὀπῶ χρησιν αὐτῆς (τῆς μήτρας) οἶδεν. 15, 673 f Φύλαρχος ἐν τῇ ἑβδόμῃ τῶν ἱστοριῶν οἶδε τὴν . . . ἱστορίαν, καὶ . . . οὔτε τὰ Νικανέτου οἶδεν οὔτε τὰ Ἀνακρέοντος. 14, 648 d τὴν ἡμίναν οἱ τὰ εἰς Ἐπίχαρμον ἀναφερόμενα πεποιηκότες οἶδασιν. Plut. Rom. 12 σύνοδον ἐκλειπικὴν σελήνης πρὸς ἥλιον. εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται. Eust. 72, 4 ὁ εἰπὼν . . . κελαινῶπα θυμὸν (Soph. Ai. 954) ἑτεροίαν οἶδεν εὐθείαν. multo rarius sic γινώσκειν. Clem. Alex. Strom. V 673 Φιλύλλιος βέβη τὸν ἀέρα διὰ τούτων γινώσκει.

Neque minus usitatum est verbum ἐμφαίνειν eo sensu quo etiam ἐμφανίζειν, δηλοῦν (*parad. ὑποδ.*), σημαίνειν (*paras.*), δεικνύναι (*ἐνδ. ἐπιδ. ὑποδ.*), δῆλον (*σαφές, φανερόν*) ποιεῖν, διασαφεῖν usurpantur. itaque qui Eupolin versum illum de quo agitur in scholiis Aristophaneis significavisse dicere volebat, non minus recte dicere poterat ἐμφαίνει δὲ καὶ Εὐπόλις τοῦτο(ν) quam οἶδε τοῦτον. at ἐμφαίνει τοῦτο(ν) εἰδώς recte dici nego duabus de causis. primum significat sibi rem aliquam notam esse is qui aut quasi praeteriens breviter et parum accurate aut per ambages et obscure de ea loquitur; Eupolis cum ipsa verba de quibus agebatur adferret,

ea simpliciter commemorabat. alteram causam non sine aliqua dubitatione profero, quia quid mediocres scriptores dicere potuerint aut non potuerint — scholiastas dico et grammaticos — saepe difficillimum est definire: recte enim et bene dicendi sunt regulae, perperam et inepte dicendi non sunt. at tamen inter multa milia exemplorum, quae ad eam de qua dico quaestionem solvendam contuli ne unum quidem simile reperire potui. etenim cum participio verbum *ἐμφαίνειν* apud scriptores inferiores numquam fere coniungitur nisi notissima illa ratione, ut participio explicetur quo modo aliquid significatum sit (Athen. 9, 356 e *ἐμφανίζει δὲ καὶ Ἄλεξις τοῦ πουλύποδος τὸ χρήσιμον λέγων ὁ δὲ*). obiectum quod dicunt verbo saepissime particula *ὅτι* adiungitur, interdum praeter Atticorum consuetudinem infinitivo exprimitur, veluti Plut. Mor. 953 e *ἐμφαίνεται δὲ ὅσων τὸ θερμὸν ἐξεθλίβη . . , πάντα ταῦτα . . ὑπὸ τῆς ψυχρότητος, παγήναι*. tria exempla in tanta multitudine reperi obiecti per participium expressi, sed semper additur particula *ὡς*; atque inter tria unum est participii nominativo casu positi. Schol. Arist. Plut. 179 *ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων (comicus) . . . ὡς μηκέα αὐτῆς οὕσης*. Ath. 9, 399f *Ἀλκαῖος ἐν Καλλιστοῦ ὡς πολλῶν ὄντων ἐμφανίζει διὰ τούτων*. Polyb. 3, 23, 5 (Carthaginienses) *ἐκ τῶν συνθηκῶν περὶ Σαρδόνας καὶ Λιβύης ἐμφαίνουσιν ὡς περὶ ἰδίας ποιούμενοι τὸν λόγον*, i. e. in foedere data opera significant se de Libya tamquam de sua loqui.

Quae cum ita sint, temeritatis accusari non poterit qui verba scholiastae corrupta et emendationem quaerendam esse dicit: quae ut recte temptetur praemonendum est minus recte Meinekium *τοῦτο* mutare voluisse in *τούτων*. saepissime enim sic grammatici. Poll. 10, 51 *Ἀριστοφάνης γοῦν ἐν Τριτάλῃ τοῦτο ὑποδηλοῖ, ὅτιαν φῆ κτλ.* cf. 7, 41. 10, 145. 10, 179. schol. Arist. Av. 1150. 1297. eundem in modum verba *ἐμφαίνει δὲ καὶ Εὐπόλις τοῦτο* sic interpretabimur: *respicit* vel *significat* autem etiam Eupolis idem *illud* sive Euripidis sive nescio cuius *dictum* (βέβληκ' Ἀχιλλεύς κτλ.). itaque adparet corruptum esse *ΕΙΛΩC*, quod facillime una lineola addita commutabis ita:

*ἐμφαίνει δὲ καὶ Εὐπόλις τοῦτο ΕΙΛΩCΙ*, i. e. *Εἴλωσι*. Helotum Eupolidis pauca exstant fragmenta; cf. Meinek. I p. 130, ubi nomen fabulae etiam apud Pollucem corruptum fuisse cognosces.